

Secundum: *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei*, Luc. VI. Beati primo, quia cum in hac vita non fruuntur bonis, expectare ea possunt in futura: unde dicit Dominus Lazarum habere ibi solatium, quia hic recepit mala: secundum, quia certiore et securiore via ambulant ad celeste illud regnum: tertio, quia magnum est paupertatis meritum, si æquanimitè toleretur. Ideo enim David ait Psal. IX. *Patientia pauperum non peribit in finem*. Unde promittitur illis eadem merces, quæ martyribus regnum scilicet cælorum, quia ut ait S. Bernardus: *Paupertas est quoddam martyrii genus*.

Tertium: *Omne palmitem in me ferentem fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Palmitem estis per fidem et charitatem, ut bene spero, Christo viti inhærentes. Sed quoniam tempore prosperitatis et abundantie, multi ob humoris et pinguedinis copiam luxuriabant, erumpendo in surculos vitiorum, et non in fructus bonos: ideo Dominus venit ad eos cum falce paupertatis et putavit ramos, præscindendo luxum in cibo, potu, vestitu. Audi Isaiam, c. XVIII. *Ante messem totus effloruit* (id est, in flore luxuriavit) *et immatura perfectio germinabit* (id est, immaturi surculi germinabunt, sed non dabunt fructus), *et præscidentur ramusculi ejus falcibus*. Longe majus est divitiarum periculum, quam inopiæ. Ideo divitiis vocat Dominus spinas, quia difficulter sine læsione tractantur.

Ad hæc purgantur pauperes per egestatem suam non a vitis solum, sed etiam a pœnis, quas alias Deo debent: unde habent hic suum purgatorium: quam breve ac leve, si cum altero comparetur.

Quartum: *Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo*, ait Dominus, Luc. XXI. quia ergo pauperes parum acceperunt sibi dispensandum, parum exigetur ab illis: hinc magnates in articulo mortis optant se fuisse pauperes. Exemplo sunt Carolus rex Siciliae, qui moriens dixit: *O vanas hominum cogitationes? Quid mihi jam regnum prodest?* Corhel. a Lap. in ult. cap. Gen. et Joannes Aragonum rex, qui moriens exclamavit: *O felicem pauperum conditionem, et illorum securam vitam atque beatam, qui panem comedunt cum sudore vultus sui, qui vivunt labore manuum suarum! Nam mihi misero quid regnum, quid honores, quid obsequia plurimorum contulerunt? Quid labores scilicet magnos, et multa corporis et animæ pericula? Nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miserum et infelicem, qui tam sero fallacem mundum cognosco! Qui vitam certe vixissem multo meliorem, si non rex sed pauperis agri cultor fuisset.* Marinæus, l.

XVIII. rerum Hisp. Similibus votis ac lamentis ex hac vita migrasse fratrem ejus Alphonsum regem Neapolitanum tradunt historiae. Philippus III. Hisp. rex, licet pie et innocenter vixerit, moriens tamen dicebat: *Utinam nunquam fuisset rex! Utinam annos, quos in regno egi, exegissem privatus in eremo! Utinam vitam solitariam cum Deo duxissem in Thebaide! Quam nunc securus morerer! Quam fidenter ad Dei tribunal pergerem!* » Ut in ejus vita typis vulgata Corn. in cap. II. Oseæ.

Cogitent ergo pauperes vicinam mortem, miseriarum suarum finem et felicem terminum: *Factum est ut moreretur mendicus*, ait Dominus, Luc. XVI, *et portaretur ab angelis in sinum Abrahamæ*. Seryulum, mendicum morientem angeli demulcent suavi melodia et prosequuntur in cælum, apud S. Gregor. in hom.

II. Sint cum Jesu et audiant libenter verbum ejus: quemadmodum fecit turba ista; videant ut divina non negligant, quod tamen commune est pauperibus, præsertim mendicis; unde quia ipsi negligunt spiritualia et æterna, Deus negat eis corporalia et temporalia. Ita fit, quod Os. IV. dicit Deus: *Oblita est legis Dei tui: obliviscar filiorum tuorum et ego*. Sane divites solent libentius et largius effundere eleemosynas in pauperes probos, quam in improbos. Quilibet paterfamilias providet imprimis domesticis suis: ita et Deus iis qui per gratiam ipsi adherent. Itaque quia pauperes vident negata sibi esse terrena bona, tanto magis quaerant et abripiant celestia, ut ita sint in Deo divites. In hodierna historia mariti adduxerunt ad Christum etiam uxores et parvulos suos, ut colligitur ex Matthæo; itaque curent pauperes, ut in timore Domini instituant liberos suos, quemadmodum fecit et Tobias, Tob. IV.

III. Sint laboriosi, otio non dediti. Sic enim et isti pauperes quaesierunt panem suum longa itineris molestia. Unde S. Amb. lib. VI. c. IX. in Lucam super hoc evang. ait: *Quibus impartiatur (alimentum) advertite: non otiosis, non in civitate quasi in synagoga vel sæculi dignitate residentibus, sed inter deserta quaerentibus Christum*. Furantur panem aliis pauperibus, qui cum viribus valeant, eleemosynam illis præcipiunt, et tenentur eam illis restituere. Unde legimus S. Antonium Florentinum archiepiscopum, duobus cæcis, qui erant in civitate, et quorum alter ducentos, alter trecentos coronatos collegerat, pecuniam illis abstulisse, et magis egenibus distribuisse, relicta illis sufficienti, Sur. 2. maii. Denique, apostolus ait: *Qui nec laborat, non manducet*, II. Thess. III.

IV. Confidentiam in Deo habeant: quomodo et isti, qui ad iter tridui nihil ciborum secum

tulerunt, in sola Christi providentia confisi. Jactent ergo pauperes cogitatum suum in Dominum, quia magnum habent et divitem provisorem, Deum videlicet qui ipsorum curam gerit. Unde David Ps. IX. ait: *Tibi derelictus est pauper, orphanus tu eris adjutor*: et Ps. XXXIX. ait pauper quidam: *Ego vero egenus sum, et pauper, Dominus sollicitus est mei*. Certe in hodierno evangelio recordatur Christus pauperum, et pro eis sollicitus ait: *Misereor super turbam*. Olim, manna cœlesti æqualiter omnes refecti sunt: *Et qui multum (collegerat) non abundavit* (pro eo scilicet qui plus collegit) *et qui modicum non minoravit*, I. Cor. VIII. Ita: *Cum omnes, ait S. Chrys. in eum locum, unum ventrem impleamus, et uno tempore vivamus, et unum corpus tegamus, nihil magis habet dives ex abundantia, neque ex paupertate minus habet pauper, sed uterque victum et amictum, et in hoc sunt æquales*. » Sicut in hac refectione, ut ait Matthæus: *Comederunt omnes et saturati sunt*, etsi alter altero plus comedit.

V. Sint humiles: Ita in hodierno evangelio discubuerunt super terram: ergo si victum sibi parare nequeunt, non erubescant humiliter a ditioribus petere propter amorem Dei: si repulsi patiantur, non obmurmurent aut obtrectent negantibus eleemosynam quasi avaris; sed humi in patientia sua cum Lazaro consideant, qui et ipse non oblocutus est contra divitem negantem sibi micam, licet videret abundare ejus servos et canes. Turpe valde est, cum se offert pauper; sive cultu corporis, sive arrogantia animi. Unde Ecclesiasticus cap. XXV. ait: *Tres species odovit anima mea, et aggravor valde animæ illorum: pauperem superbum, et divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum*.

VI. Sint contenti iis, quæ offeruntur et dantur. Si enim et isti pauperes comederunt et saturati sunt, licet panem tantum et piscem Christus apposuerit; nec sit mentio de potu. Comederunt, inquam, non devorarunt omnia, quæ aderant, nec diripuerunt, quæ supererant, sed reliquerunt superflua fragmenta: neque illi in sacco suos consarcinarunt reliquias, quod multis est, in usu. Hunc in modum: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus*, ait apostolus, I. Tim. VI. alioquin incedemus primum in veram paupertatem, quæ est plus cupere: *Non enim qui non habet, sed qui plus cupit, pauper est*, ait Seneca et Bias: *Quis dives? Quis nihil cupit. Quis pauper? Avarus*.

VII. Sint grati Deo imprimis, qui hoc donum eis concessit. Gratos fuisse illos, qui refecti sunt à Christo, nullum esse dubium potest, licet hoc in evangelio non exprimat. Colligitur enim ex alia simili historia, ubi post refectionem volue-

runt Christum rapere, et regem facere. Nemo non ageret gratias regi, si in aula ejus assummeretur. Atqui pauperes aulici sunt Dei.

Deinde, benefactoribus suis orando pro ipsis. Quia enim ditiores dant pauperibus, quo abundant, temporalem videlicet sustentationem: tenentur vicissim pauperes dare ditioribus id, quo abundant ipsi, quod est virtus orationis, quæ plurimum valent apud Deum: *Et ita fiet æqualitas*, ut ait apostolus, II. Cor. VIII. Si mirum divitum abundantia corporalis pauperum inopiam corporalem suppleat: et vicissim pauperum abundantia spiritualis divitum inopiam spirituales.

CONCIO VII.

QUAM CONVENIENTER INSTITUTA SINT SEPTEM SACRAMENTA IN ECCLESIA.

I. Causa institutionis. — II. Sub signis visibilibus instituta. — III. Adhibentur verba certa. — IV. Numero septem instituta et quidem congruenter. — V. Hominum ministerio administranda. — VI. Duplex sacramentis virtus collata.

THEMA.

Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Marci VIII.

Ita sapienter omnia sua miracula Christus edidit, ut interim per ipsa præclaram etiam doctrinam ad nos pertinentem nobis insinuaret. Ideo sponsi sui miracula sponsa prædicans, Cant. V. ait: *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*, id est, omnia ejus opera et miracula tam rotunda et tam sapienter parata sunt, quasi essent tornata: continentque non solum aurum charitatis, sed etiam hyacinthos cœlestis doctrinæ. Id vero in hodierno etiam miraculo patet, in quo pulchre nobis depinxit rationem, qua universam Ecclesiam saturaturus et refecturus erat: *Distributus enim turbæ panis, inquit Gagnæus, in Marci c. VIII. ordo est militantis Ecclesiæ, cui distribuuntur a discipulis Christi, qui sunt prælati et sacerdotes, septem divina sacramenta*. Porro sicut septem panibus refecta est omnis multitudo, ita septem sacramentis pascitur omnis Ecclesia. Rursum sicut panes illi nequaquam erant absumpti, sed abunde superflui; ita etiam inexhausta est virtus sacramentorum. Denique, saturatio hæc quatuor millium hominum quoad multa similis videtur esse sacramentorum institutioni, quibus totus Christianorum satiatur orbis, ut nunc prædicamus.

I. Causa, cur Christus providerit suis sectatoribus panes, erat eorum imbecillitas et famies. Ait enim: *Misereor super turbam, quia ecce jam*

triduo sustinent me, nec habent quod manducent: et si demisero eos jejunos, deficient in via. Sic etiam causa institutionis sacramentorum in Ecclesia, gratia hominum necessitas, virium defectus et imbecillitas, in quam inciderunt per lapsum hominis, quasi in ægritudinem quamdam, de qua sine Dei gratia resurgere non poterant, et in quo nihil boni præstare, nedum in bono proficere, aut in tentationibus persistere et superare. Unde necessaria fuit ægris medicina, famelicis refectio. Hoc denotat homo ille, qui incidit in latrones, a quibus non solum vulneratus, sed et spoliatus fuit. Nisi enim Samaritanus ille, Christus, misericordia motus super eum, vinum et oleum, id est, salutaria sacramenta (nam ea continent in se duo illa, oleum id est, gratiam Spiritus sancti; vinum, id est, sanguinem, et merita Christi; ex quibus sacramenta omnia velut malagmata quædam contacta sunt) vulneribus nostris præparasset, nulla ratione vivere possemus: sed cum turba hodierna deficeremus in via. Itaque egebamus baptismo, per quem ab originali peccato ablueremur, et Ecclesiæ Dei incorporaremur. Egebamus confirmatione, per quam in fide firmaremur et ita roboraremur, uti ab ea ne avelli nos pateremur, egebamus penitentia, per quam in culpas aliquas lapsi resurgere possemus, et gratiam amissam recuperare. Egebamus eucharistia, per quam sustentaremur et in cœpto virtutum itinere confirmati perseverarem et cresceremus. Egebamus extrema unctione, qua athletæ christiani in ultimo et difficillimo illo agone munirentur contra insultus hostium invisibilium. Egebamus gratia alia, quæ conjuges indissolubilter uniret et in statu illo periculoso adjuvaret ad sobolem legitime propagandam. Egebamus gratia alia quæ habilitaret aliquos homines ad hæc sacramenta aliis impertienda, adeoque sacramento ordinis: jam vero sacramenta vascula quædam sunt, in quibus oleum et vinum Samaritani nostri continentur; canales sunt, per quos ad nos derivari debuerunt; septem columnæ sunt, quibus innititur ædificium Ecclesiæ, Proverb. IX.

II. Christus voluit cibo corporali, panis et piscium, mutuato ab ipsismet discipulis, turbam illam pascere, cum potuisset invisibili et spiritali cibo. Sic sacramenta instituit sub signis visibilibus, et materialibus, aquæ, olei, chrismatibus, panis et vini, etc. e terra depromptis, cum potuisset invisibili modo gratiam invisibilem conferre, idque fecit. Primo, quia non anima tantum, sed et corpore constamus, et per sensibilia solemus devenire in cognitionem spiritalium rerum: unde S. Chrysost. hom. LXXXIII.

in Matth. et hom. LX. ad pop. Antioch. ait: *Si incorporeus esses, nuda et incorporea tibi dedisset dona: sed quoniam anima corpori inserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.* Unde quod in sacramentis externe peragitur circa corpus, hoc intellige fieri intus in anima: «Caro, ait Tertull. de resurrect. carn. abluatur, ut munde tur anima; caro chrismatatur, ut anima roboretur caro inungitur, ut maneat anima consecrata; caro alitur speciebus panis et vini, ut anima satiatur alimento, quod Christi corpus et sanguis ei imperitur.»

Secundo, quia ægritudo nostra a sensibilibus rebus ortum habuit, et adhuc peccata incipiunt a carne et carnalibus rebus, quibus illa pascitur et fovetur, ideo rationi consentaneum fuit, ut etiam antidota sensibilia essent et a carne inciperent: quo nimirum intelligeremus morbi nostri radicem et originem. Itaque quia lepra nostra carni adhæsit et ab illa in animum pertransiit, decuit ut cum Naaman intrarem aquas Jordanis et lavaremur septies in Jordane. Scorpionis ictus, scorpionis oleo sanandus fuit.

Tertio, quia peccando rebus corporalibus nos subjecimus, decet ut iisdem nos, cum sanari volumus, subjiciamus et quodammodo medellam ab illis exposcamus, subjiciamus intellectum ad credendum Deum et Dominum nostrum in rebus adeo vilibus, quales sunt aqua et oleum, posuisse rerum tam sublimium, gratiarum suarum videlicet, communicationem; credamus item verba formæ sacramentalis a ministro prolata habere vim supernaturalem efficiendi in anima interius, quod illa significant exterius.

Quarto, ut per hæc quasi militaria signa seu tesseras dignosceremur et ab aliis distingueremur. Nam ut S. Aug. l. XIX. contra Faust. c. XI. ait: «In nullum nomen religionis sive verum, sive falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.» Sic milites ex coloribus penularum et vexillorum dignoscuntur et congregantur. Baptismus nos discernit a gentilibus et Judæis, reliqua sacramenta ab hæreticis. Deum etiam ex iisdem sacramentis participamus, quomodo fieri potest, ut non mutuo nos amare et charitatis vinculo colligari incipiamus?

Quinto, ut per eorum signorum usum christianam fidem publice protestaremur: dum enim ea suscipimus, fidem, quam in corde gerimus, exterius opere profiteremur.

Sexto, ut haberemus aliquod signum externum dimissorum nobis peccatorum et gratiæ nobis collatæ, pristinaque valetudinis restitutæ (quantum est ex parte sacramenti debito modo adhibiti) et sic nos consolari (quando ex parte

nostra nihil negleximus) et de cætero in quiete et tranquillitate spiritus vivere possemus. Hujusmodi signum, sed restituendæ sibi valetudinis, petiit Ezechias: Nos etiam a potiori, quia ægritudo nostra spiritalis et invisibilis est, indigebamus signo aliquo redditæ nobis sanitatis. Quando ergo videmus nobis applicitum esse signum sensibile, illico acquiescimus, nisi nostra conscientia fictionis alicujus aut indispositionis arguat.

III. Christus adhibuit etiam verba. Accipiens enim septem panes, gratias egit, et alibi in simili miraculo benedixit etiam panes, hoc est, multiplicationem eis imprecatus est et imperavit. Sic in sacramentorum institutione præter materialia signa, instituit etiam certam verborum formam, v. g. *Ego te baptizo, ungo, absolvo, etc.* Primo, ut essent corporibus et animis accommodata. Ut enim homo corpore et anima constat, velut materia et forma, sic etiam sacramentum materiam habeat et formam; illa respondeat corpori, hæc animæ; siquidem aqua abluatur corpus, oleo inungitur, etc. verbum autem percipit et credit anima, et credendo munda fit; atque ita menti et corpori congrua medicina parata est.

Secundo, ut sacramenta Christum ipsum auctorem et instauratorem salutis nostræ repræsentarent. Ut enim in Christo est verbum divinum cum carne aspectabili conjunctum; ita in sacramentis sunt verba, cum materia aspectabili copulata, juxta illud Aug. tract. LXXX. in Joan. *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum etiam ipsum, tanquam visibile verbum, etc.*

Tertio, ut sic ad novum et meliorem vitæ statum et consortium divinitatis a Christo recrearemur eo modo, quo prius a Deo creati eramus. Tunc enim Deus: *Dixit, et facta sunt.* Quia ergo per Christum restauramur, verbum etiam in hac restauratione adhibendum erat, ut intelligeremus nos de novo esse creatos spiritualiter.

Quarto, ut clarius significetur, quod efficitur per unumquodque sacramentum.

Quinto, ut honoraret etiam homines, quorum verbis in administratione sacramentorum divinitas tribuit virtutem, instrumentalem ad peccata diluenda et gratiam efficiendam atque conferendam. Quæ res maximam affert homini dignitatem, ut possit dicere peccatoris animæ cum Christo: *Volo mundare: Lazare veni foras: Fili remittuntur tibi peccata tua, et imo: Ego tibi remitto peccata tua, ego te ab inferis libero et in heredem cæli constituo, etc.* Quando dixit Dominus paralytico, Matth. IX. *Surge tolle lectum tuum et eade in domum tuam, isque surrexit et abiit in domum suam, videntes turbæ: Timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus. Sed in rei veritate plus est*

dimittere peccata, quam dicere: *Surge et ambula, quia gratia est quid præstantius quam sanitas corporis.*

IV. Christus adhibuit panes septem, quibus pavit multitudinem. Sic instituit etiam septem et non plura nec pauciora sacramenta, uti omnes catholici semper tenuerunt, et tenent usque hodie. Quemadmodum ergo Christo interrogante: *Quot panes habetis?* discipuli unanimiter responderunt: *Septem, ita si catholici interrogentur de numero sacramentorum, quocumque terrarum angulo, respondebunt omnes: Septem.* Et sic respondit Zacharias patriarcha Constantinopolitanus theologis Wittemberg. ad art. VII. conf. Augustan. Imo etiam mos execrandi Germanorum idipsum confirmat, et ostendit ab antiquo, ex quo Germania fidem accepit, septem credidisse sacramenta. Cum contra in hoc hæretici, etiam qui unius sectæ sunt inter se maxime dissideant, et alibi duo, alibi tria, alibi unum; alii hæc, alii illa dicant esse sacramenta, convenienter autem hoc numero sacramenta instituit Christus. Primo, quia per ea providetur vitæ spiritali, quo modo provideri solet vitæ corporali. Homini autem ad vivendum vitamque conservandam et ex sua rei publicæ utilitate traducendam hæc septem necessaria videntur, ut scilicet nascatur; crescat seu adolescat; alatur; si in morbum incidat, sanetur; si pugnandum sit, armetur contra inimicos; ad hæc ut magistratum habeat, cujus auctoritate et imperio regatur; denique, ut legitima sobolis propagatione seipsum et humanum genus conservet. Eadem hæc necessaria erant vitæ nostræ spiritali, quæ est gratia, et præstantur a sacramentis. Per baptismum primo nascimur, (nascente gratia in nobis) et in novam vitam ingredimur: per confirmationem adolescimus, et crescimus in gratia et fide; sic enim apostolis dixit Christus ascensurus: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto, Lucæ XXIV. per eucharistiam alimur et sustentamur in virtutibus et gratia, juxta id: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc. non habebitis vitam in vobis, Joan. VI. quarto, si per peccatum in animæ ægritudinem inciderimus, per penitentiam sanamur, et gratiam perditam recuperamus: quinto, per extremam unctionem contra hostes animæ in agone communitur: sexto, per ordinis sacramentum in Ecclesia gubernamur a pastoribus, et multiplicamur spiritualiter: denique, per matrimonium genus humanum legitima sobole conservatur et propagatur corporaliter.*

Secundo, quia septem hæc sacramenta accommodata sunt ad septem hominum status, qui cernuntur in militia. Baptismus est intran-

tium in vitam, confirmatio pugnantium, eucharistia vires post pugnam resurgentium, poenitentia de lapsu et vulneribus resurgentium, extrema unctio ex hac vita exeuntium, ordo gubernantium et annonam ministrantium, matrimonium novos milites introducentium.

Tertio, quia præparant animum ad septem virtutes principales, tres theologicas et quatuor cardinales. Baptismus ad fidem, confirmatio ad spem, eucharistia ad charitatem, poenitentia ad iustitiam, extrema unctio ad fortitudinem et perseverantiam, ordo ad prudentiam, matrimonium ad temperantiam.

V. Christus adhibuit operam discipulorum suorum, qui panes distribuerent et apponerent, ut in eorum etiam manibus panis multiplicaretur. Sic etiam instituit sacramenta Dominus, ut hominum ministerio uteretur in dispensatione eorum velut instrumentali causa, et quidem ita ut quis alteri, non sibi ea administret. Primo, ut bonitatis suæ propensionem erga homines ostenderet, quibus altissimam hanc potestatem suam communicavit, ut una cum ipso, velut instrumentum cum principali causa seu artifice, velut penna cum scriptore, penicillus cum pictore in cordibus humanis possint pingere gratiam, quæ est communicatio quædam divinitatis.

Secundo, ut simul homines haberent per hoc occasionem novam, bene de aliis merendi; quod indicatum cum in altero illo convivio, Matth. XIV. discipulis petentibus, ut dimitterent turbam ad coemendos panes respondit: *Non habent necesse ire, date illis vos manducare.* Ad eundem modum potuisset Deus singulis hominibus conferre opes sufficientes, sed voluit aliis dare parum, aliis multum, ut divites haberent occasionem bene merendi de pauperibus, et pauperes orandi pro divitibus.

Tertio, ut iniretur ratio, qua mutuo amore inter se arctissime colligarentur homines, cum intelligunt tantum bonum, qualis est gratia divina, sibi posse communicari per homines, sacramentorum ministros; gratiam confirmationis et ordinis per episcopos; gratiam poenitentiae, eucharistiae, extremæ unctionis per presbyteros; gratiam baptismi per quemcumque in necessitate. Hinc enim debitores illorum se agnoscunt, reverentur et amant illos, timentque offendere, quia pro patribus suis agnoscere eos debent non minus quam carnales parentes. Unde apostolus ait: *Si decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos patres; nam in Christo Jesu ego vos genui.* 1. Corinth. IV.

Quarto, ut hinc colligeremus virtutum et efficaciam sacramentorum tantam esse, ut etiam a malis ministris impediri nequeat, modo debite ea administrent. Cum enim sciverit Do-

minus multos fore improbos dispensatores mysteriorum nequaquam illis contulisset potestatem istam, si ab eorum vita penderet sacramentorum virtus. Quod si per angelos aut viros tantum sanctos dispensarentur, eorum potius sanctitati, quam efficaciam sacramentorum adscriberetur sanctificatio. Ut ergo peritus scriptor quæcumque arripit pennam, et bene nihilominus scribit, ut ipsius ars, non calamus commendetur: ita voluit hic agere Deus. Vocantur sacramenta, sigilla et signacula, jam vero: «Duo annuli, inquit Sanct. Gregor. Nazianz. orat. in s. baptism. alter aureus, alter ferreus, si uterque incisam habeat eandem imaginem et regia insignia, æque unus atque alter ea exprimet impressus;» sic eadem sanctificatio confertur per sacramentum ab aureo sacerdote, qui insigni splendet sanctitate, administratum; et a ferreo seu reprobo.

Quinto, ut hinc moneremur nos sacerdotes, et quicumque administrant aliquod sacramentum, majore studio quam alii, puritatem conscientiae tueri et servare, præsertim in ipsa administratione; sancta enim sancte sunt tractanda et impollutis manibus. Unde S. Dionysius de eccl. hierarch. c. 1. ait: «Malis symbola (sacramenta intelligit) ne contingere quidem permissum esse:» et S. Greg. II. p. pastor. c. II. «Necesse est, inquit, ut esse munda studeat manus, quæ diluere aliorum sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinat, si sordida in semet lutum tenet. Hinc namque per prophetam Isaiam (c. LII.) dicitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*» Sic Gregor. Magna igitur nobis, o sacerdotes, imposita est necessitas vivendi religiose, sobrie et pure, ne temere Deo appropinquant, ab eo percipiamur.

VI. Christus septem illis panibus duplicem contulit virtutem; scilicet ut famem esurientibus pellerent, et ut vires fatigatis et exhaustis restaurarent (utroque enim indigebat turba illa): sic quoque sacramentis duplicem contulit virtutem. Primo, pellendi peccata et ex parte reliquias eorum seu pœnas illis debitas: secundo, inferendi gratiam in animam, necnon conservandi et augendi ad certos et determinatos actus. (Quod ut suavius crederetur, initio nascentis Ecclesiæ, in usu aut institutione sacramentorum evenerunt aliqua signa prodigiosa, ad ostendendos hos effectus in cordibus fidelium.) Unde sicut Elisæus prodigiose multiplicavit viduæ oleum, quod in vase quodam habebat, ut tamdiu fluere, quoad vasa vacua superessent: quo nimirum ipsa ex eo debita creditoribus solveret, de reliquo cum filiis suis viveret (IV. Reg. IV.) ita etiam Christus sacramenta nobis multiplicavit, ut ex eis primo,

peccatorum nostrorum debita dilueremus: deinde, vitam gratiæ in nobis foveremus. Itaque nobis videndum restat: primo, ut ne vasa desint huic oleo recipiendo, ne alioquin sistat. Non desinet manere in Ecclesia gratiæ illius oleum, quod tribuunt sacramenta; quamdiu fuerint homines, qui ad eam recipendam, ut par est, se disponant. Sed heu quam pauca nunc vasa vacua a terrenis curis et sæcularibus negotiis? Quam exiguus sacramentorum usus? Quid mirum foret, si oleum hoc staret? Stetit sane, quando ante annos centum hæresis oriebatur: nullis enim fere tunc sacramentorum usus erat, sed contemptus: unde sacramenta pleraque sustulit hæresis.

Deinde, quoniam tam sanctæ et pretiosæ res sunt sacramenta, discamus ea summa cum reverentia et honore pertractare, non in manibus tantum, sed in ore quoque. Quæ vero illa insania est, execrari sacramenta, per quæ salutem consequi oportet? Annon hoc est incidere canalem, per quem aqua hauriri et sitis extingui debet? Annon hoc est destruere sibimet pontem, per quem quis ambulare et fugere hostes debet? Annon hoc est laqueum collo suo injicere, ne possit respirare? Annon hoc est claudere sibimet januas cæli? Sane quoties nomen sacramenti audimus, cadere in genua debemus, et Deo immortales gratias agere pro hoc cælesti dono. Unde et nos jure caput aperimus, cum hoc nomen audimus.

Ad extremum igitur Deo gratias agamus pro his panibus nobis in Ecclesia relictis, et rogemus eum, ut spiritualem famem et desiderium illorum dare nobis velit, quo ferventius et dignius, quam hucusque fecimus, eos percipiamus.

CONCIO VIII.

QUA RATIONE PARANDÆ ET ACQUIRENDÆ SINT VIRTUTES MORALES IN VOLUNTATE SITE.

I. Mendicando per orationem. — II. Emptione seu carnis depressione. — III. Labore seu conatu voluntatis. — IV. Furto seu imitatione aliorum.

THEMA.

Unde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Marci VIII.

Postquam prima vice Christus pavit turbas quinque panibus, et propterea turbæ eum sequebantur ac quærebant (Joan. VI.) dicebat illis: *Queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturari estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Occupatur nunc fere totus mundus et cum illo nos in quærendo panem corporali

seu colligenda messe; de pane vero spirituali pauci sunt solliciti. Quare Christus merito etiam dicit nobis: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Cibus et panis iste virtutes sunt, quibus anima nostra pascitur et vivit vita gratiæ; de hoc enim cibo dixit Dominus: *Beati qui esuriunt iustitiam,* id est, qui virtutem et sanctitatem avidissime concupiscunt, ut ait Chromatius: sine pane isto deficiamus in via, quia non est alia via veniendi ad gloriam, nisi per virtutem. Nisi vero virtutum habitibus instructi simus, cito desinemus bene operari, ob earum difficultatem. Sed unde nobis iste panis hic in solitudine et exilio? In paradiso certe facile parassetur istum panem, quia tunc virtutes homini fuissent maxime connaturales: sed hic in solitudine, in exilio difficulter comparatur; quia naturæ corruptæ non sapit virtus. Quam multo tempore laborant aliqui, ut casti sint; alii ut ebrietatem evincant et sobrii fiant? Alii ut iracundiam suam maectent et patientes ac mansueti fiant? Alii ut blasphemias, mendacia, detractiones caveant et linguæ frænum imponant? Unde igitur ememus panes? Unde nobis parabimus virtutum habitus, quibus prompte, expedite et cum voluptate operemur bona? Videamus.

I. Paratur panis mendicando. Mendica etiam tu panem virtutum a Deo et dicitur: *Panem nostrum quotidianum (spirituale) da nobis hodie;* qui a: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre lumine,* inquit Jacobus, cap. 1. Hac ratione etiam turbæ hodiernæ pararunt sibi panem; per triduum enim sequebantur et sustinebant Christum famelici; seu, ut Matthæus ait: *Perseverabant cum eo donec nimirum Christus eorum miseretur et cibaret illos, sequere igitur et tu, sed instanter et perseveranter orando, sicut mulier illa Chananæa velut catellus sequens Christum, donec panis bolum ab eo acciperet.* Hoc enim est quod ipse Dominus nos facere docuit, Luc. XI. in parabola amici, qui perseveravit pulsans petere panes ab amico: *Si vos cum sitis mali, inquit, vestris bona data dare filius vestris; quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* Spiritum bonum intelligit omne donum cæleste, quod hominem fecit bonum. Lacedæmoniorum filii, panem a parentibus non accipiebant, nisi quem sagittis deiecerant. Cupis etiam ut panem castitatis, sobrietatis, patientiæ, etc? Pete illum cogita orationis ferventis, et perseverantis, et de hoc de cælo ubi penus est inexhausta omnium bonorum; sine hac enim dona illa difficulter obtinebis, ut agnovi Salomon, Sap. VIII. *Ut scivi, inquit, quoniam aliter non possem esse continens,*